

eminentia quaedam extuberat. *Corium* caudam versus, ducta manu laeve est, os versus asperum. *Squammae* sub cute latent plurimae, *adeps* in dorso suis more residet. Utraque *maxilla* rostrata est, superior magis ossea, durior, aliquando bicubitalis, (Athenaeus totius corporis magnitudini aequalem esse, scribit) inferior brevior et triangularis, plerumque illa habet se ad totam magnitudinem ut tria ad decem, ista ut unum. *Gladius* est ferro acutior, sed extincto pisce corrumpitur. Gellius ejus mucrone dura excavavit saxa. *Dentes* ipsi falso ^b Aelianus tribuit, non admodum curvos, nec admodum inanes. Nullos enim habet, eorum loco ossa oblonga et aspera in palato resident, absunta in tantum gladium materia, quae dentibus cedere debuerat. *Oculi* ipsi orbiculati prominentes, et ante eos foramina. *Branchiae* octonae et duplices, *tergus* ex cinereo nigricans, et ferici instar splendens. *Pellis* tenuissima, *venter* argento micans. *Fellis* vesicula intestino committitur.

^f Athen. *Dipnos*. l. 7.

^g Oppian. *Halieut*. l. 2.

^h Aelian. *H. A.* l. 14. c. 23.

ⁱ Aristot. *H. A.* l. 2. c. 23.

^k Plin. *H. N.* l. 32. c. 11.

Degunt in mari, et ^k raro adeunt littora. Copiosius vero juxta Scyllaeum promontorium apud Siculos et Zophyrium quod Italiae extremum est, hodieque Spartiventum a

nautis nuncupatur, capiuntur. Tribuantur tamen ab Aeliano ^l et Darnubio, sed et in Dania in lacu Suerinensi notissimi dicuntur.

^l Aelian. *H. A.* l. 14. c. 23.

Visitant ^{*} piscibus, quos rostri ^{*} Aelian. l. 6. incurfu interficiunt, nec prius comedunt, quam spiculo ^m transfixerint. ^m Oppian. *Halieut*. l. 2. v. 509.

Exortu Caniculae ⁿ divexantur ab oestro seu asilo (Animal est parvum, scorpionis effigie aranei magnitudine) tantoque infestantur dolore, ut in venas saepenumero exiliant. Baeniam exhorrescunt, eamque conspicati, gladium suum in terram, aut obvium quemcunque vadi locum impingunt, sic infixio capite sese continent. Nec ^{tamen} sua ignorare arma credendum. Utitur rostro tanquam gladio. Saepe in mari Indico validissimas Lusitanorum naves, ad sesquipalmum aliquando perforant. Visus in mediterranea juxta navim nantem, medium rostro discidisse. Graecanicum sermonem ab Italico distinguere, illum minime reformidare, ad hunc diffugere, Joannes Marius Caetaneus, qui Locrensi in littore Xiphianum piscationi interfuit, prodidit, et Brutii testantur.

ⁿ Plin. *H. N.*

^o Aelian. *H. A.* l. 9. c. 40.

Ufus in cibo rarus. Carne enim est arida, et difficulter concoquitur. Archesstratus Byzantinum commendat.

ARTICVLVS IV.

De Remora et Cetorum Duce.

TAB. IV. 3. **D**E REMORA, quae *Echeneis*, *Remiligo*, et *Naucrates*, dicitur, vix quicquam certi scribere possum, adeo Authores in diversa scinduntur, tria tamen occurrunt, descriptio, facultatis naves retinendi, et causa. Varie a veteribus describitur. Quibusdam est parvus piscis, assuetus petris. Quibusdam ^p eum pedes ex Aristotele habere opinantur, ita posita pinnarum multitudine. Mutianus muricem esse, latiore purpura, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha, utroque latere sese colligente, quibus inhaerentibus, plenam ventis stetisse navem, portantem nuncium a Periandro, ut castrarentur nobiles pueri, conchasque quae id prae-

^p Plin. *H. N.* l. 9. c. 25.

stiterint, apud Gnidiorum Venerem coli, prodidit. Trebius niger pedalem esse, et crassitudine quinque digitorum credit. Tres eo nomine celebrari, haud perperam inde colligas. Nec inter recentiores de eodem convenit. *Rondeletius* inter ignotos reponit. *Gillius* nunquam se piscem, vel piscatorem, qui ipsum vidisset, vidisse profitetur. *Bellonio* est totus ex ossis, mollis, lubricus, coloris herbacei, inferiore parte planus, dorso repandus, in gibbo convexus, limacis rubri testa carentis effigiem referens. Eidem ad spitamae longitudinem et manubrii ligonis crassitiem plerumque excrescit, circa saxa in mari, sed lente serpit, et iter cornibus praetendit, mucaginemque ut limax serpendo relin-